



The Holy See

PAULUS PP. VILITTERAE APOSTOLICAE

*ADORATE IN MONTE**

TITULUS AC PRIVILEGIA BASILICAE MINORIS ECCLESIAE SANCTISSIMAE TRINITATIS IN
LOCO «SONNTAGBERG» VULGO APPELLATO, INTRA SANCTI HIPPOLYTI DIOECESIS
FINES EXSTRUCTAE, CONFERUNTUR.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Adorate in monte sancto eius» (*Ps. 98, 9*) : haec verba divino amante Numine prolata transferri possunt ad ecclesiam Sanctissimae Trinitatis in monte positam, qui, vulgo « Sonntagberg» appellatus, finibus dioecesis Sancti Hippolyti continetur. Eo enim plurimi pietatis causa peregrinatores accedunt, ut Deo Uni et Trino debita praestent religionis officia ac superna impetrent munera. Ibi saeculo XV sacra aedes, tam augusti Mysterii nomine insignis, condita fuit, cui nonnullis lustris exactis, altera addita est, Salvatori dicata. Quae divini cultus sedes permagnis auctibus ab abbatia Seitenstettensi est provecta, quae aedificationi et curae animarum sedulo operam dedit. Cum vero increscens peregrinorum multitudo capi non posset, eodem saeculo ad finem vergente, amplior ecclesia, incepto, studio, industria eiusdem religiosae familiae est exstructa. Illustris quidem imago Sanctissimae Trinitatis, quae magnum fidelium pietatem excitare consuevit, ab anno MDCXVI repetitur. Itaque Mons Sanctus piorum turmas ad se convertit, quae tam frequentes eo confluabant, ut saeculo XVII, mira Seitenstettensis abbatiae alacritate, templum congruentis magnitudinis sit coeptum aedicari. Quod opus, Iacobo Prandtauer architecto eximio creditum, et post plures annos ingenti molitione perfectum, anno MDCCXXIX ab Episcopo Passaviensi, in cuius dictione tum locus erat, fuit rite consecratum. Non immerita laude celebrantur imagines, quae Trinitatem variasque Fidei veritates venuste interpretantur, altaria affabre confecta, praesertim maximum, pulpum, alia ornamenta. Cupiens autem huic pietatis domicilio spectabili novum honorem adiungere, dilectus filius Albertus Kurzwernhart, Abbas Seitenstettensis, submisse Nos rogavit, ut id Basilicae Minoris nomine ac iure donaremus. Quibus precibus, Venerabilis Fratris Francisci Zak, Episcopi Sancti Hippolyti, commendatione suffultis, libenti animo statuimus concedere. Quae cum ita sint, Nos e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum ecclesiam Sanctissimae

Trinitatis, in loco, qui «Sonntagberg» vulgo dicitur, constitutam, ad dignitatem *Basilicae Minoris* evehimus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis, quae templis eodem nomine insignibus rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die IV mensis Martii, anno MCMLXIV, Pontificatus Nostri primo.

HAMLETUS I. Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

*A.A.S., vol. LVI (1964), n. 12, pp. 734-735

© Copyright 1964 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana